

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum

Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.

Band: - (1746)

Heft: 2

Artikel: Vita Davidis Constantii, quondam in academia Lausanensi professoris
theologiae clarissimi

Autor: [s.n.]

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394576>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 18.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

I I.

V I T A

DAVIDIS CONSTANTII,

Quondam in Academia Lausannensi
Professoris Theologiæ Clarissimi.*

SI vox mea , alias satis sonora , nunc rauca ac faucibus hæret ; si ob alte ducta suspiria Sermo strangulatur ; si lingua quasi sidere icta torpet , ne miremini Auditores : Non clamosum ago disputatorem , non acrem depravatorum seculi morum Censorem , non halcyonios Ecclesiæ nunc annuntio dies , sed ferale est pulpitu[m] , quod conscendo : Octo sunt dies , quod extulimus Venerandi CONSTANTII exuvias , ac tenebricoso condidimus Sepulchro ; at simul extulimus Professorem ac Doctorem dignissimum , Academiæ decus , Collegam suavissimum , Civem optimum , omnibus charum , Studiorum fautorem , Studiosorum Patrem : Hoc est , quod nunc Academiæ triste hoc silentium , ac mihi lugubrem dicendi necessitatem

* Cum Biographia Clarissimi hujus Theologi Bibliothecæ Helveticæ a Clarissimo ALTMANNO adornatae inserta non sit , neque in aliis ejusdem indolis collectionibus reperiatur ; CONSTANTIUS vero inter præstantissimos Helvetiæ Theologos referendus sit , merito locum illi in Museo nostro concedimus . Desumpta autem est hæc Biographia ex Oratione funebri , quam in obitum hujus Eximii Theologi habuit J. Jacobus SALCHLINUS in Academia Lausannensi Professor Theologiæ Clarissimus . J. Z.

tatem imponit; Imo extulimus Patrem omnium, utpote qui omnes Cives annorum numero superavit, unde et cum elatus omnes boni eum comitati sunt, ac tanta fuit vulgi frequentia conturbato vultu lugubres has edens voces, concurrete Cives, Patrem perdidimus optimum! Si quid mea vota valuissent, Venerande Constanti, tu adhuc in vivis essem et saltem centesimum, a quo non procul absuisti, attigisses annum.

Laudabilis omnium temporum ac Academiarum fuit consuetudo, jam a Romanis ad nos derivata, ut Viris, vel de Patria vel de Ecclesia præclare meritis, justa solverentur, et eorum merita post mortem palam decantarentur, ut posteri ac seri abnepotes, imo omnes, præclara æmulatione accenderentur, cum Majoribus virtute et industria certarent, ac eandem gloriæ famam tandem acquirerent: Miltiadis sane tropæa Themistocli animum addiderunt, ac ad gloriæ fanum viam stravere; Martyrum in primitiva Ecclesia pia recordatio multis aliis ejusdem Constantiæ caussa et occasio fuit, qui mos et semper imitandus fuisset, nisi in turpem tandem degenerasset superstitionem: Illustria Virorum præclarorum exempla multis ardentes subdidere facies, ac pectora inflamarunt; ut fervidiore animo quemvis etiam improbissimum sustinuerint laborem, ac rude ad Parnassi fastigium iter feliciter absolverint, quod alias et urgentissima monita etiam centies inculcata non præstitissent; Piaculum igitur fuisset Venerandi nostri Senis reticuisse laudes, ac eas non ad imitationem commendasse.

Uni-

Unicum, quod hic omnibus mirum videri queat, est, quod ego nec eloquens nec facundus, qui nunquam Suadæ fui cliens, hanc in me suscep-
rim provinciam, cum disertus satis non sim, nec
eloquio abundem, digno ut manibus Defuncti
nostrī Justa persolvere queam modo; at Pietas
erga nostrum Constantium me de hoc monuit
officio; benevolus ejus erga me affectus, sincera
ejus consilia ac monita non fucata, non ex bi-
lingui ore profecta, alte menti meæ infixa, nec
unquam ex ea delenda, hæc suaserunt ac jussérunt.
Quod autem minus rite peractum fuerit, vestra in
me benevolentia sæpius tentata, sæpius et com-
perta, boni consulet; Quod optimum erit, non
ficta audietis præconia, nec ulla verborum leno-
cinia.

A natali solo Venerandi nostri Defuncti ini-
tium faciam; equidem in hoc non nimis inqui-
rendum esse, jam olim monuit Maximilianus
Cæsar, cum quis natus esse possit in aliqua ter-
rarum Orbis parte, quam producendis magnis
Ingeniis minus aptam quorundam credit perversa
opinio, cum tamen Musæ et in incultissimis ter-
ræ regionibus habeant qui eas colant; uti Or-
pheus jam olim apud parum excultos Thraces,
Anacharsis Vervecum in Patria apud horridos Scy-
tas, Protagoras, Anaxarchus, Nicenetus, Demo-
critus aliquique apud barbaros Abderitas nati fuere.
Interim tamen Nobilitatem Patriæ non vilipen-
dendam esse recte censuit Simonides, et jam olim
Themistocles faslus est, quod si Seriphius suisset,
ad tantam nominis celebritatem pervenire non
potuisset. Qui ergo celebri est ortus civitate, habet
de quo sibi bis gratuletur, modo celebri natali
dignum

dignum se etiam præstiterit civem; Hac dupli fe-
licitate gavisus est noster CONSTANTIUS, natus
quippe in Nobili Civitate Lausanna, quæ Vete-
ribus Lausonium vel Lausodunum dicta, antiqui-
tate maxime Illustris, jam Julii Cæsaris tempore,
si Guillimanno credimus, clara, ac forsan illud
ipsum Lasanium vel Diasanium, cuius Ptolomæus
mentionem fecit; Civitas ut paucis expediam,
quam aëris salubritas, agri vicini amoenitas, soli
fertilitas, Incolarum exculti mores et obvia hu-
manitas, Academiæ pro Juventute summæ ac
piæ curæ omnibus maxime commendant.

Non tantum autem ex Nobili Patria, sed et ex
Nobili Prospria Venerandus noster Senex fuit
oriundus, quæ in specie olim claruit Ariæ Civi-
tate Illustri in Belgii Provincia Artesia sita. Multi
ex hac Familia exorti fuerunt Viri Illustrissimi,
ad summos honores evecti; Archithalassos habuit
Classium, Præpotentium Hollandiæ Ordinum, in
Johanne et Carolo Constantio: Renatus jam olim
Rhodiorum Equestris Ordini fuit adscriptus; at
his non immoror, quia defunctus noster non cu-
rabat longo sanguine censeri, pictos Majorum
ostendere vultus, et stantes in curribus Æmilia-
nos, sed potius Christum crucifixum cordi in-
sculptum, quam crucem pallio insutam habere,
quæ etiam animi sui vota in compositissimo Ser-
mone in verba Pauli de Stultitia prædicationis
Evangelii palam fecit, quæ et pia fuit Majorum
suorum sententia.

Augustinus enim Constantius nostri Proavus re-
lictis suis bonis ac dignitatibus majoris æstimans
ignominiam Christi, quam divitias Ægypti, Lu-
tetiam Parisiorum post beata Reformationis tem-
pora

pora se contulit, ubi Nobilissima Virgine *Elizabetha Pelisari* in matrimonium ducta Genevam pervenit, et post brevem inibi temporis moram ob eminentissimas quæ in eo fulgebant virtutes Civitate donatus fuit; at non diu post sic ferente fato iter ad visendum amicum suum Principem Durlacensem suscipiens Lausannæ supremum obiit diem, relicta hic mœstissima familia; Cujus Filius *David* amoenitate loci allectus jus civitatis hujus sibi comparavit, a quo tempore Nobilissima hæc familia semper Lausannæ remansit. Nobilitas hujus familiæ etiam ab Amplissimo Magistratu Bernensi, perlustratis exacte omnibus quæ huic rei fidem faciebant documentis, recognita fuit ac per decretum amplissimum stabilita.

Patrem habuit Venerandus noster Senex Nobilissimum Dominum *Philibertum Constantium*, ac Matrem Nobiliss. *Juditham Girard de Bergeries*, filiam Clar. Domini de Bergeries, Professoris Theol. ac linguæ Hebraicæ in hac Academia dignissimi; Nobilissimi Patris Virtus in hoc maxime elucet, quod filios suos quatuor otiosos esse noluerit, sed variis scientiis imbuendos destinarat, quorum Defunctus noster cum fratre suo, qui adhuc hodie Ecclesiæ Lustriacensi præest, Deo et Ecclesiæ consecratus fuit; Filius *Jacobus Medicinam* excoluit, variis dissertationibus Eruditis non obscurus, ac præcipue in Botanica excelluit. *Augustinus* mox primis Reipublicæ hujus dignitatibus admotus Tribunitio Munere usque ad mortem defunctus est. Optandum foret, ut omnes Patres ita sentirent, non tot videremus Juvenes, qui nil aliud agunt, quam per plateas ac tabernas ambulare, volitare per popinas; Inutilia ter-

ræ pondera, nec Reipublicæ, nec Ecclesiæ, nec proximo, nec sibi unquam profutura; cum tamen Cicero jam olim monuerit, quod non nobis solum nati simus, sed ortus nostri partem Patria, partem Parentes, partem amici vindicent.

Sed ad Defunctum nostrum redeo; jam in prima infantia egregia ejus indoles spem faciebat, illum Familiæ suæ olim singulare decus ac ornamentum futurum; acerrimum enim ac subactum ingenium divina afflatum aura multa promittebat, nec spes pium Patrem fecellit, omnes enim Collegii hujus Lausannensis Classes feliciter percucurrit, ac Commititones suos multis statim post se reliquit passibus, abundantissimamque olim messem tam vernans in pubescente segete viriditas promisit. Durioribus his laboribus exantlatis majora moliri cœpit, mox Philosophiæ præceptis imbuendus, ut discipulus naturæ eo facilius crederet Prophetiæ, uti olim scite *Tertullianus* monuit, in quo Musarum Xysto cum fese strenue admodum exercuisset, ac plurima Judicii sui maturi specimina edidisset, qui ejus curam habuerunt, utilissimum censuere, ut noster *CONSTANTIUS*, cui ex meliore luto finixerat præcordia Titan, itinera sua Academica ingrederetur, ac ex commercio cum Eruditis penum suum literarium identidem locupletaret, nil certius rati, quam quod Magnus ille humaniorum literarum restaurator ac Jupiter Stator *Erasmus* dixit, ut quis Eruditus evadat, ipsi cum Eruditis conversandum esse.

Universitas Herbornensis primus fuit locus, in quo Venerandus noster Senex prima purioris Theologiæ jecit fundamenta; Doctore et ductore Stein-

Steinbergio Illustris illius Lycæi Theol. Professore, ubi per biennium commoratus sæpius etiam vicinam Universitatem Marpurgum visitavit, in qua tunc temporis floruit Joh. Crocius, in specie ex magno, quo pro pace Ecclesiæ flagrabat zelo illustris, unde et propter animum suum pacificum ad famosum illud Colloquium Lipsiense deputatus fuit; quid mirum, quod noster Constantius hanc Ecclesiæ pacem semper in votis habuerit, cum in tenerioribus jam annis huic sententiæ fuerit innutritus.

Germania relicta ad fœderatum Belgium, ubi beatissima semper fuit Musarum sedes, appulit, ac primo quidem Groningæ pedem fixit, in quo Athenæo Studiosorum ex tota Ecclesia Reformata maximus erat confluxus, Celeber. Maresio magna cum laude ibi docente; quantus Maresius fuerit Vir, non opus est multis verborum figmentis; Inspiciantur ejus scripta, omni Eruditione refertissima, unde etiam omnes Scholæ ac Academiæ Eum habere voluerunt, uti et ab Amplissimo Magistratu Bernensi anno superioris Seculi sexagesimo primo ad Theologiam in hac Academia Lausannensi docendam humanissime invitatus fuit, quod autem ob ingravescentem jam ætatem recusavit: in hujus lectionibus tum publicis tum privatis noster Constantius post ferias majeores per autumnum ac subsequentem totam hyemem assiduum sese præstítit auditorem, in exercitiis disputatoriis mox solidum veritatis ventilatorem, mox subtilem aggressorem. In templo Gallico sese tam peritum præbuit Oratorem Sacrum, ut Clar. Maresius, ipsum non amplius in inferioribus subsidere subselliis, sed Cathedram

con-

conscendere ac Doctoris vices obire voluerit,
 Ecclesiæ Levvardæ in Frisia cura ei oblata: Quot
 non audaculi scioli rerum suarum pessimi con-
 sultores fuissent, qui hanc sarcinam, humeris suis
 etsi injustam, in se suscepissent, viribus suis
 plus nimis freti: cum hoc sit Juvenum præpo-
 sterum judicium, ut quando a Superioribus ali-
 quam obtainuerunt laudem, jam credant, se omnes
 Scientiarum abyssos penetrasse, ac Professorem
 non tam approbatorem, quam admiratorem ha-
 buisse; vel unde fit, quod aliquando Juvenes
 Ministri, cum per brevius tempus exercitium con-
 cionatorium ipsis componendum est, multis frigidis
 sudoribus ac motibus spasmodicis excrucientur,
 quam quod non satis rite parati hoc Munus am-
 biant, quibus longum impendendum tempus,
 antequam Cathedram concendere audeant, &
 tunc hem quanta Productio! si non optima est,
 saltem optima esse deberet, cum in ejus enixu-
 dici possit, multa tulit fecitque, sudavit & alsit.

Modestius ac prudentius Defunctus noster de se
 sentiens oblatum Munus recusavit, pie ratus,
 majorem adhuc ad Munus, etiam Apostolicis hu-
 meris gravius, rite obeundum capacitatem com-
 parandam esse, hiac sese Lugdunum Batavorum
 contulit; illuc fama duorum Celeberrimorum
 Doctorum Cocceii & Hornbekii attractus; Quan-
 ta non nomina, quæ nemo nisi in historia lite-
 raria plane hospes ignorat! duo certe Ecclesiæ
 Lumina nullis unquam, quas invidia affricare po-
 tuerit, maculis obfuscanda; suos equidem adhuc
 hodie censores habent, at FORSAN plurimi tales
 sunt, qui ne pagellam operum eorum inspexere, Ju-

dices ergo pedarii, qui non mente, sed pedibus in sententiam alicujus eunt; Et quoties non contingit, ut ridiculus mus etiam mortuum leonem arrodere audeat: hoc saltem de Scriptis horum duorum Autorum dicendum, quod in omnibus paginis arctissimum Veritatis & Sanctitatis connubium deprehendatur. Duobus etiam aliis Eruditis familiariter ibi usus fuit; Dominis Heerebordo Philosophiae, & Van Horn Anatomiae Professoribus; Annon autem, Auditores, legitimum ac æquissimum pro discipulo præjudicium est, tantos audivisse Doctores; Impossibile plane est, ut, qui tanto ingenii acumine ac noster Constantius gavisus est, non insignes in omni politiori literatura fecerit progressus.

Plura autem adhuc Defunctus noster experiri, nec hic subsistere voluit, sed in Galliam ac præcipue Lutetiam Parisiorum tendit, tam Celebritate Doctorum Salmuriensium, quam Ministrorum Carentonensium illuc allectus, quo tandem navigatione aliquoties infeliciter tentata, quanquam nullum naufragii periculum fuerit, navi Constantium vehente, feliciter delatus fuit: Hic Nobilissimis Viris, Consiliario ac Regis Secretario Conrado, Stoupio aliquique commendatus, non tantum ab Illustrissimis ac primi Ordinis Viris humanissime fuit exceptus, sed & apud Dallæum, Morum aliosque facilem accessum invenit, quos non tantum saepius vidit, sed qui ipsi familiarem concessere aditum. Idem favor ipsi obtigit a Mose Amyraldo, qui tunc Lutetiæ degebatur, Viro tunc temporis maxime Claro, ab hostibus ipsis laudato, ac in specie a Cardinalibus Richelio ac Mazarino

zarino in summo habito pretio, quem tantum e longinquo vidisse aliis sufficiebat. Sed quid multis his insisto, nunquam finirem, si omnis, quæ ipsi in itineribus suis cum Viris Illustribus intervenit consuetudo, enarranda foret. Quis vero dubitet, quin Venerandus noster Senex ex hoc cum tot Literatis commercio opima admodum reportarit spolia; Hoc tantum observo, nil ad veritatem detegendam æque esse proficuum, quam diversarum sententiarum autores ipsos cognovisse, & audivisse, quæ sors nostro Constantio obtigit; circa illud enim tempus varia in Gallia fuisse sententiarum divertia, neminem fugit, in primis qui acta Alenconensis & Carentonensis Syndici inspexerit. Longe arctiorem autem cum Viris Illustribus per totam Galliam contraxisset necessitudinem, nisi fata Eum domum retraxisserent, quod anno seculi quinquagesimo octavo contigit; forsitan autem si ulterius in Gallia comoratus, Ecclesiæ Patriæ perpetuo ereptus fuisset.

Domum redux noster Constantius, Vir nunc ad unguem factus, non per multum tempus in obscuro latitare debuit, utpote qui ex thesauro cordis vetera & nova promere poterat; Unde non diu post suum ad Patrios Lares redditum ad Sacrum promotus Ministerium ac per Manuum Impositionem Sacris initiatus fuit, certissima spe Promotoribus suis affulgente, amplissimos olim divina aspirante aura fructus ex laboribus ejus in Ecclesiam redundaturos. Nec multum etiam ipsi in foro circumspiciendum erat, quis ejus usurpus foret opera, mox enim ab Illustrissimo Comite a Dhona Ecclesia in Copet curæ ejus fuit commissa:

Sic non tantum a levi plebecula , cuius auram facile unusquisque captat , amatus , sed in primis a magnis & Illustribus Viris magni habitus ; Unde & mox alia fuere oblata : Omnibus Constantius Noster fuit Charus , ac ab omnibus Bonis desideratus ; in Galliam ab Ecclesia Lumignensi revocabatur , quæ mellifluorum ejus Sermonum adhuc memor erat : Fama etiam nominis Ejus Herbornæ nondum erat extincta , in qua Musarum Palæstra nos Eum antea strenuum vidimus Athletam , Universitate Eum ad Philosophiam publice docendam invitante ; At dulce ipsum retinuit Patriæ solum , imo videbatur nunc Copeti sedem suam fixisse , quod & loçi amoenitas ac Genevæ vicinia sua-debant.

Ut etiam vita , quæ & felicissimis aliquando incommoda est , eo suavior foret , lectissima sibi circumspexit de vitæ Socia , quam & invenit in Nobilissima & Virtuosissima *Maria Colladon* , Nobilissimi ac Consultissimi Domini Colladon , Illustrissimæ Genevensium Reipublicæ Syndici primarii filia , quod matrimonium uti fuit suavissimum , sic & benedictissimum , ac multa prole fœcundum , dum dulcissima conjux Venerandum nostrum Senem quinquies exoptatissima progenie fecit Parentem .

O quam non tranquilla , non omnibus curis vacua hic fuit Constantii nostri vita , quam non suaviter hic omnis aliis otius fuisse , literas ac libros ad Indos Garamantas relegando ; at illi hæc præter Ecclesiæ suæ Curas jucundissima fuit occupatio : Verum omnino est , qui semel Musas deperrit , earum non statim obliviscitur ; in specie Defuncto nostro *humaniores literæ semper in summis*
fuere

Suere deliciis, indefesso labore ab eo exultæ; imo ipsi quasi a Musis in præceptis datum, ne desinat unquam tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas. Nil molestius ipsi erat, quam Eruditorum carere consortio; quis est, quem lateat, eo tempore trigam virorum Celeberrimo- rum, Mestrezatum, Turretinum, Tronchinum Genevæ floruisse, qui ei præter alios quam plurimos omnem suam largiebantur amicitiam: in specie indissolubile amicitiae nexit vinculum cum acutissimo Baylio (a) cui tunc Illustrissimum Juvenum Comitum a Dhona cura erat demandata, cum quo doctissimum etiam literarium instituit commercium, quod & fere usque ad mor-

P 3 tem

(a) *In Epistolis P. Baylii, quæ A. 1714. Amstelodami editæ sunt extant numero XXIII ad Constantium datæ. Prima scripta est Copeti A. 1644. ultimæ Roterodami 1704. Ex omnibus manifestum est, ab ipsa juventute summam fuisse inter Baylium & Constantium animorum conjunctionem, unde etiam Baylius hunc suum amicum in Belgium pertrahere voluit. Patet hoc ex epistola CXX & CXXVII. in posteriore hac epistola ita scribit: J'avois songé à vous procurer une place vacante de Ministre ordinaire dans l'Eglise Wallonne de Leyde; mais le Consistoire a jeté les yeux sur Mr. Basnage, cela m'a constraint de rengainer. J'en suis faché; car il a refusé la Vocation; & tout aussitôt le Consistoire disposa de la place en faveur de deux Proposans, qui font la charge d'une place ordinaire. Je m'estimerois le plus heureux du monde s'il se présentoit quelque chose qui vous put attirer en ce Païs avantageusement. Je ne cesse d'avoir l'Oeil au guet: mais les occasions se présentent rarement.*

tem Baylli continuatum. At majora nostrum ma-
nebant Constantium, undecim enim post annos
quibus Ecclesiæ Copetensi summa cura, summis
vigiliis, præfuit Pastor fidelissimus, ab amplissi-
mo Magistratu Bernensi vocatus ac Collegio huic
Lausannensi præpositus fuit: Uti inter Amicos
omnia & jucunda & adversa communia sunt, ita
& hæc Amicissimum suum Baylium latere noluit,
mox ei per literas mandans, *sibi nunc cum politio-*
ribus Literis ac mansuetioribus Musis commercium
effe. (b)

In hac statione Eloquentiam excoluit, quan-
tum quidem ætas discipulorum permittebat; otio-
sus non fuit, Florum, Erasmi Colloquia ac Cice-
ronis librum de officiis cum annexis, notis illustra-
vit; Quid in his præstiterit, non meum est judi-
care, cum ex mea laudatione fama ejus nec aug-
mentum nec detrimentum capere queat. Sed
audiamus de his acutissimum Baylium, cuius
judicium in hoc literarum genere plusquam vi-
ginti aliorum approbatio valet, qui, uti de omni-
bus nostri Constantii laboribus bene sentiebat, sic
in specie de notis in Ciceronem hoc tulit judi-
cium, quod sint Judiciosissimæ ac Eruditæ. (c)

Nec

(b) *Vide tomum primum Epistolarum Baylli, & ibi*
epistolam septimam.

(c) *Judicium hoc extat Epistola LXX. Les Trai-
tés (inquit) que vous avez choisis de Ciceron sont mes
délices depuis long-tems: & si je n'avois pas été engagé
à des occupations, qui ne me permettoient pas de m'ar-
rêter sur un même livre, j'aurois fait des offices de Ci-
ceron & des autres pieces, dont on les assortit ordinai-*

Nec hic etiam ipsi subsistendum fuit, sed post aliquot annos Ei in mandatis datum, ut Linguam Græcam ac Philosophiam Moralem in hac Academia publice doceret: Uti Auditorium Illustrius fuit, sic & graviores fuere ejus labores; deliciæ Ejus erant summæ, ut discipulis utilis esse posset: Variis etiam dissertationibus hic clarus fuit, ut de (d) Uxore Lothi, Rubo Mosis, Serpente æneo, Transitu per mare rubrum, aliisque, quæ a variis Eruditis omnimodam obtinuere approbationem. Iterum pro omnibus loquatur Baylius, qui in specie de dissertatione de transitu per mare rubrum ita censet, *quod plena sit eloquentia, Eruditione & ingenio, ita ut hic & pessimi Aristarchi obmutescere cogantur.* (e)

P 4

De

rement mon Livre de Poche. Les Notes que vous avez jointes sont judicieuses & savantes, & peuvent servir de beaucoup au Lecteur. Et Epistola LXXIV. Je vous ai parlé fort sincèrement sur votre Ciceron; car je suis persuadé que les Notes en sont choisies, judicieuses & savantes; & cela m'oblige à vous combattre, mon cher Monsieur, sur le dessein que vous dites avoir pris de ne faire plus rien imprimer, après le traité de Juramentis. Vous changerez de dessein si vous m'en croyez: & vous m'en devez croire assurement, puis qu'outre mon Titre d'ancien Nouvelliste de la République des Lettres, qui m'engage à être le solliciteur & l'Agent des Intérêts publics de cet état-là, je connois autant qu'un autre ce que vous valez & de quoi sont capables les forces de votre Esprit. Meminit hujus editionis Celeb. Fabricius in Biblioth. latina.

(d) Vide epistolam CIII.

(e) Vide epistolam CXII.

De *Compendio Politicæ* (f) nostri Constantii non minus dextre sensit Baylius, cuius tractatus etiam Dominus de Beauval cum laude in suis Novellis literariis mentionem fecit; Dissertationem quoque noster defunctus composuerat de Juramentis in Sacra Scriptura memoratis, quam autem nunquam publici Juris fecit, et si a Baylio multis ad id solicitatus. In primis ab Eruditis approbatum fuit *Systema Ethico-Theologicum*, viginti quinque dissertationibus comprehensum, in quo Opere acutissimus Baylus denuo summe laudavit soliditatem, *Judicium, Eruditionem & Claritatem* (g). Digne ergo iterum

(f) *Epist. LXVIII.* ita de *Compendio hoc Politico* jucat: Je vous remercie de tout mon cœur de votre Abrégé de Politique. C'est une piece digne de votre Esprit, & de votre Erudition, que vous savez que j'ai toujours louée en vous, avec une estime & une sincérité singuliere. Mr. de Beauval en a fait mention dans un de ses Journaux.

(g) Pro Systemate hoc Ethico-Theologico gratias agit, illudque laudibus extollit epist. CXXVII. Je vous rends un million de Graces, mon très-cher Monsieur de la nouvelle marque que vous m'avez donnée de votre précieux souvenir, & de votre chere Amitié, en m'envoyant votre Systeme de Theologie Morale. Je l'ai reçu avec d'autant plus de joie qu'il m'a donné lieu de me convaincre de plus en plus d'une chose que je fais depuis long-tems. C'est que vous êtes un très habile Homme. Il y a dans votre Systeme non seulement un perpetuel Caractère de bon gout, & de fin discernement: mais une methode très belle & très-claire d'embrasser toutes les matieres nécessaires à un Sujet, & de

iterum hancce Spartam exornavit Noster, in Patria utilis, apud exteror^s Celebris. In specie arripuit Baylius sententiam ejus de Conscientia errante, quod quæcunque contra illam patrata pecaminosa sint, imo & quæ ejus dictamine facta, ubi error vincibilis, culpa liberari nequeant, quam sententiam etiam Baylius in additamentis ad tractatum suum de Cometis stabilivit. (h) Eandem Eruditionis & ingenii laudem reportavit a Basnagiis, Bernardo famoso illo apud Leidenses Professore, aliisque.

At nec in hac Statione Nostro meta figenda erat, tam assiduus olim Theologiæ Cultor divinam hanc & alios docere debebat Scientiam ; Ad quam Cathedram ab Amplissimo Magistratu vocatus sive ineunte hoc seculo ; qui olim tam strenue spiritualia contra adversarios tractare didicerat Arma,

P 5 hanc

les prouver solidement. Je vous felicite de cette Production de votre plume, & souhaite passionnément que vous enrichissiez souvent le Public de pareils Thresors.

(h) Vide epist. CXX. ubi inter alia ait. J'ai été ravi de voir que votre sentiment sur l'obligation de suivre les mouvements de la conscience errante est le mien, sur lequel notre faux Prophète (intelligit. P. Jurieu) qui a dans le fond & très nettement enseigné la même chose m'a voulu faire passer pour impie. Vous établissez, que ce qui est fait selon la conscience errante, lors que l'erreur est vincible est un péché; mais non pas lors que l'erreur est invincible. Voilà justement mon opinion: je n'ai dit ni plus ni moins, que cela: Vous verrez ce que j'ai publié là-dessus en dernier lieu dans mon addition aux pensées sur les Comètes. Fusius de hoc argumento egit in Commentario suo philosophico in verba Christi: Coge eos intrare.

hanc nunc tela in hostes vibrandi artem & alios docere debebat ; Nunc ipsi & Oeconomia mysteriorum Salutis concreditur.

Quis de Capacitate nostri Defuncti ad munus hoc rite obeundum dubitarit, qui adhuc memor est, quod in Juventute sua opera, manuductione ac consiliis summorum usus fuerit Doctorum, non Magistrorum semidoctorum, qui Scientiam Theologicam tantum summis ut aiunt degustarunt labris, sed talium, quorum fama in benedictione erit, quam diu tellus nostra circa suum rotabitur axem.

Quis adhuc, inquam, de capacitate nostri Constantii dubitarit, qui perpenderit, quod non tantum ad pedes unius federit Doctoris, sed plurimum, & quidem aliquo modo inter se dissidentium. Qui uno tantum utitur Doctore, facile cespitat, ac, qui plurimorum Juvenum mos est, jurat in verba Magistri, ad hancque omnia dimentitur amissim. Nil magis mihi risum movet, billem enim movere nequit, quam aliquando audire Juvenes, quorum Musæum vix sex instratum opusculis, qui que ne unum quidem Theologæ Compendium attente perlegerunt, attamen se Judices controversiarum peritissimos credunt, concipiunt æthera mente, summos Doctores & Pietate & Eruditione claros delirii accusant, ac tantum non cum Patre Sancto Romæ de infallibilitate decertant ; Augustinus & Hieronymus in mentibus eorum miseri sunt homunculi ac Magistelli, qui in quavis scriptorum suorum pagina enormes commisere errores; Bone Deus in quæ delapsi sumus tempora !

Vene.

Venerandus autem Constantius tam alte de se non sapiebat. nec contentus unum audivisse Doctorum, varios explorare voluit, monitum Apostoli iecutus, *omnia probate, quod bonum est, retinet*. Quid mirum, quod & hoc Munere dignissime defunctus fuerit: Etiam hic quædam pie meditata ac plures Orationes sacras prelo subdidit, inter quas in primis attentionem mereatur illa, qua nullos fore in æterna Vita beatitudinis gradus, sed Beatos omnes æquali felicitate fruituros stabilivit. Optandum fuisse, ut Eximius hic Doctor plura nobis reliquisset Scripta, at grandævior jam factus, et si valetudine satis firma usus fuerit, Sanitati suæ omnino consulere debuit; Attamen & in hac statione iterum miro pro ætate vigore operam suam Academiæ, quantum quidem Deus subministrabat vires, fideliter impendit, usque ad annum ætatis suæ octuagesimum nonum, anno seculi hujus vigesimo sexto, quo amplissimus Magistratus Bernensis iniquum ratus, ut Constantius magno jam annorum numero pressus plane & laboribus confringeretur, onere hoc illum levare, ac alii provinciam hanc demandare voluit: Erubesco fere dicere, quod ego tanto Viro suffectus fuerim.

Interim tamen ut Illusterrimi Proceres gratum suum ac benevolum erga Constantium nostrum pro præstita Ecclesiæ opera testarentur animum, totum ac indivisum ei reliquerunt stipendum, libertate servata integra, an adhuc Coetibus Academicis vellet adesse, ac consiliis suis prudentissimis Collegas suos conjunctissimos sublevare, quod omnibus semper pergratum fuit; Qui generosus Prin-

Principis in Nostrum affectus luculentissimum fuit testimonium, ac simul maxime honorificum, labores nostri Constantii ipsi non displicuisse; sic ergo tranquilla Eum manebant tempora, quibus in spe ac silentio stadium suum absolvere poterat, usque dum summo rerum Moderatori placuerit, Eum ex hoc Mundi evocare labyrintho, ac sui communione in æternum beare.

At nec hic plane otiali voluit, sed sœpius adhuc Discipulorum orationes sacras audivit, observationesque suas ac correctiones addidit judicissimas, eadem animi præsentia, ac si Vir triginta annorum fuisset.

Intervallo hoc, ut ita loquar, inter vitam ac mortem posito, sex & quod excedit per annos adhuc felicissime vixit, dico reapse vixit, non languit, quod alias senibus commune. O felicem ætatem, quam divina ipsi concessit Clemencia; Eadem semper observabatur mentis serenitas, cum morbis acutis Ei non erat conflictandum; Oculus ejus non caligavit, nullæ aderat sensuum hebetudo; usque dum præterita hyeme ab initio intensissimo frigore rigida, dein autem admodum humida, plurimos causata morbos, morbo epidemicō, præcipue senibus metuendo, totam fere Europam infestante, febris nostrum Senem invalit, cum qua ipsi fere per tres colluctandum septimanas.

Hic statim præsentiebat noster Constantius, summum instare diem, ac ineluctabile tempus, hinc emigrandum esse, Deum vocare; at hic nulla audiebantur murmura, non anxia pro recuperanda valetudine vota, nullæ de doloribus querelæ,

relæ , anima hujus hospitii pertæsa melius quæ-
rebat, in fide jam videbat gloriam cœlestis Pa-
triæ , ac Civitatis non manufactæ , cuius archi-
tectus Deus ipse , gloriabatur spe gloriae futuræ ;
etsi jucundissimum ipsi semper fuerit Suorum
consortium , attamen mox se meliore fruiturum
afferens , meritis Salvatoris Christi unice confidens ,
ac in ejus saluberrimis vulneribus suum asylum
quærens , precibus viscera misericordiæ Divinæ
in Christo frementia commovere non cessabat ,
usque dum media nocte diem Febr. 27. proxime
præcedente piam Patri Cœlesti reddidit animam ,
ac sic placide & pie in Christo obdormivit. (*)

O dulcissime Jesu , felix qui in te moritur , in
incarnatione tua factus es noster frater , in morte
tua noster Sponsor , in resurrectione noster Victor ,
in ascensione noster Præcursor , in reditu tuo no-
ster eris Resuscitator ; Beatus qui in Domino mo-
ritur a nunc , & opera ejus eum sequentur.

Sic ergo obiit ac a nobis discessit Ven. noster
Constantius , disparuit quidem ex oculis nostris ,
at non ex mente ; Nunc quiescit sub terra levi ,
usque

(*) Mortuus est Cl. Constantius. Lausanno Anno
Seculi labentis trigesimo tertio , ætatis suæ anno nona-
gesimo quinto exceptis 17 diebus , die 27 Februarii .
Celeberrimus Werenfelsius piis Manibus meritissimi
Senis hos posuit versiculos.

*Grandævus , quem tot Juvenesque Senesque docentem
Audivere , Poli regna beata petens ,
Nominibus nimium nostris ne credite dixit ,
Nil Constanſ hic , quem linquimus , orbis habet.*

usque ad tempus illud gloriosissimum , quo ex Carne sua videbit suum Salvatorem , nunc quiete scit blande , olim in terra felix , nunc in Cœlo beatus.

Subsistamus adhuc , Auditores spectatissimi , per momentum ad tumulum , ac quædam pia mente ex ejus vita recolligamus . Vitam vixit omnibus benedictionibus oneratam ac cumulatissimam ; Deus olim Abrahamo Amico suo ex infinita sua gratia acclamavit : *Esto benedictio* , quasi dicere voluisse , ego jubeo te esse benedictionem ipsam , non tantum volo te esse benedictum , sed benedictionis exemplar ; annon etiam noster Defunctus benedictionis Exemplar nominandus ? Longævitas annon insignis Dei est benedictio , noster autem annon hanc obtinuit ? Nonaginta quinque enim minus septendecim dies attigit annos , natus die 16 Martii trigesimi octavi , seculi retralapsi , anni , & sic terminum communem vitæ hominum a Mose jam præfixum superavit : Nec vitam vixit ærumnosam , variis calamitatibus interruptam , sed jucundam . Plures sunt quibus Deus etiam longam ætatem ac multa bona liberali elargitur manu , at sæpe evenit , ut bona illa tot mixta sint malis , ut dulcia plane ab amaris absorbeantur ; Noster autem nihil tale expertus nisi quæ communis hominum sors omnibus imponit .

Sola , quæ Eum præter mortem Conjugis charissimæ , cum qua quadraginta tres per annos suavissime vixit , tetigit calamitas , fuit mors præmatura Filii secundi , qui non tantum Duci d'Albemarle fuit a Secretis , sed magno Britanniae Regi Guilielmo Tertio adeo charus , ut jam plura insi-

in signia ipsi concredita fuerint Munia. Quæstor enim fuit in Willemstat, qui que ad summos Majorum honores brevi evectus fuisset, si non aliter voluissent fata.

Pluribus etiam Academicis functionibus Constantius noster fuit clarus, plures Academiæ fuit Rector, imo quod mirum dictu, paucissimi in hac ditione sunt Evangelii Ministri, qui non vel Ejus discipuli, vel saltem Ejus suffragio in Ministerium fuere recepti.

Quod autem & ejus Vitam beatissimam reddit, est, quod Familiam suam florentissimam viderit; quid Patri in lecto emortuali dulcius, quam benedictionem Divinam in posteritate sua continuatam videre, quanta non consolatio? Hic videmus magni Patris magnos Filios; In natu maximo vidit Ministrum fervidissimum, doctissimum, Venerandæ Classis Lausannensis Antistitem & Decanum dignissimum, cuius Filius Majorum vestigia firmiter premit; Filia autem nostrum Defunctum prole jucundissima Proavum fecit; Quam non rarum tertiam ante se videre generationem? Nonne hæc Patriarcharum nobis referunt tempora? In altero autem Filio Noster Constantius vidit Chiliarchum in Præpotentium Hollandiæ Ordinum Copiis Strenuissimum, glorioso Majorum tramite strenue incedentem, ac ad summas in re militari dignitates velocissimis passibus properantem, ex quo quatuor nepotes optimæ spei Juvenes, qui omne suum faciebant gaudium, vident; sic & Filia suavissima ex Nepote charissimo nostrum Constantium Avum fecit. Croesus Lybiæ Rex auro gravissimus, mente ac prudentia levior,
optime

optime olim magnum Solonem monitorem habuit, se Civem quendam Athenensem plures filios optimis præceptis imbutos post se relinquenter, Croeso multo feliciorem censere; O Solon, Solon, si Constantium nostrum vidisses, quam non beatum ipsum prædicasses!

At maxime in Venerandum nostrum Senem peccarem, si præter vitam felicissimam pulcherimas ejus reticerem Virtutes; talia tantum afferam, quæ nec livor ipse cum spongia sua atro loliginis succo plena delere, nec alia nigro suo carbone affingere ausus fuerit. Quanta non erat in eo comitas, humilitas, affabilitas, spero omnes ejus discipulos mihi hic facile acclamare; Quot quæso sunt Doctores, qui gravitatem suam in rugosa consistere faciunt fronte, qui nemini patere volunt, ac tum demum Doctoris gravitatem digne se sustinuisse putant, ubi ille, qui eos compellavit, tristis ab iis discessit, qui tantum e longinquio conspicere volunt, rara cum auditoribus miscere colloquia, aut si hoc semel in anno contingit, tantum per monosyllaba vel decempeda loquuntur verba; si nos eo, quo metempsychosis credebatur, viveremus seculo, facile mihi persuaderem, Catonem tantum quantum in eos commigrasse.

Quam alienus autem ab his umbraticis Doctribus noster Constantius fuerit, unusquisque scit; quam non facilis ad eum erat aditus, quam non fuit discipulis obvius? Discipuli ejus moestissimi, haud dubie adhuc memores estis, quam læto vultu ac candida mente vos semper exceperit, Institutione vester Doctor, affectu vester Pater. Non affe-

affectatis verborum blanditiis, sed sincera mente animos omnium sibi conciliabat; Quam suaves non erant ejus lepores sale conditi in correctiōnibus suis, quibus discipulorum animos non offendebat, sed potius alliciebat, quia iis nihil acre inerat, nihil mordax, nihil profanum; Malevolorum sermunculos, obtrectatorum calumnias, qui viperinis suis morsibus & famam optimorum arrodunt, non curabat, spernebat, non ulciscetatur: In plerisque hominibus videmus, quod austera morositas individua sit senectutis comes, in nostro autem Constantio nil tale erat, nil triste, nil austерum, sed tanta usque ad finem mentis serenitas, quae vel ipsum Heraclitum exhilarare potuisset; hæc erat, qua omnes animi curas molestas omniaque tædiosa facile discutiebat.

Non sufficit autem tantum lingua beneficisse, oportet ut facta verbis respondeant; hic iterum egregie excelluit noster Constantius; vel quis necit, quam generoso ac benefico fuerit pectore! Nummos pro Numine non colebat, vel quid hoc turpius? mens avida enim nec abstinere novit vetitis, nec gaudere concessis; corradendis opibus animum non excruciat; *qui pauperum memor est, mutuo dat Domino*, inquit Salomon; Literas cambii sane Defunctus noster sibi per beneficentiam suam acquisivit, quæ ipsi in æterna, quæ nunc gaudet vita, ex ditissimis ac inexhaustis misericordiæ Divinæ thesauris large admodum solventur: quid turpius Evangelii Ministro, qui in Cathedra loquax aliis persuadere conatur, ne animum multis pro futuro tempore solicitudinibus torqueant, cui tamen anxiæ pro crastino so-

Ium die curæ sæpius dulcem turbant somnum; Nemo est probus Evangelii Minister, nisi qui idem sit pecuniæ contemtor, jam olim exclamavit Magnus ille non tantum Genevensium, sed totius Ecclesiæ Reformatæ Doctor *Calvinus*. Nobilior erat nostri Constantii animus, quam ut vel minimum tam sordidæ, ne dicam iniquæ, aviditatis indicum in eo observari potuerit: quid mirum, quod Omnisufficientiæ divinæ plene confisus, largos benedictionum divinarum thesauros in charissimam Familiam effusos ante obitum suum viderit.

At an obliviscar primarii in Theologo requisiti, quod est Pacis studium ac Veritatis amor; si ulla alia hac sane maxime eminebat virtute; erat ex illis, quos Christus beatos prædicat, pacificis, verus Theologus, qui veritatem docebat in charitate; Non rixosus erat, sed pacis amantissimus, ad concordiam hortator; at simul sine veritatis dispendio, alias pax non laudabilis fuisset. *Eme veritatem, ac ne vendas illam,* inquit Salomon; uti noster Constantius magno studio illam emerat, acquisiverat, ita illa nihil pretiosius habebat; uti veritatem ex limpidis sacræ Scripturæ fontibus hauserat, ita & eam strenue defendebat, at in pace, in charitate, litium, jurgiorum, controversialium inutilium hostis infensissimus: Sententiarum splendido vetustatis titulo commendatarum uti non erat supersticiosus adorator, sic nec novarum, quæ magna pompa producuntur ridiculus admirator; jam a Doctoribus suis edoctus, nihil fere ab adversariis in rebus Theologicis proferri, de quibus non in prima jam Ecclesiæ infantia disputatum; ac novitates plurimas nihil aliud

aliud esse quam crambem centies recoctam, tan-
tum non adustam; interim tamen novitatis ap-
pellatio a veritatis studio ipsum non retrahebat,
semper memor, multa quæ verissima sunt, jam
olim novitatis suspicione fuisse infamata; non ma-
gni Cocceji (*immo ne Christi quidem*) discipulus fuis-
set, si hæc non credidisset. In omnibus autem
semper elucebat Pacis studium; Formam sanorum
verborum retinuit usque ad vitæ finem, at in
charitate, potius pro errantibus orandum esse ra-
tus, quam illos convitiis proscindendos. Sed
quid multis in laudes Ejus excurro, quem omnes
novere acerrimum Vitiorum hostem, Virtutis au-
tem summum Cultorem.

Tantus ergo, Auditores Nobilissimi, fuit Vir
noster Constantius, qui nobis nunc morte erep-
tus. At quid dico de morte; non mortuus est,
sed uti Christus de Lazaro dixit, tantum dormit,
ultimo die ut Doctor, qui aliis viam justitiae
monstravit, in gloria resurrecturus, ac summo
fulgore tanquam veste induendus. Vale ergo &
vive mi Venerande Constanti in dulcissimis So-
spitatoris tui amplexibus in æternum felix.

Ne lugeatis Filii ac Cognati Nobilissimi, tan-
tum quod infirmum, quod caducum, quod fra-
gile extulimus, anima divinæ particula Auræ in
fruitione summi boni jam est summe beata, atque
in æternis exultat gaudiis: si nimio animum tor-
queremus luctu, in tua beate Constanti peccare-
mus gaudia, qui nunc deposito hoc, quod te
fere per integrum detinuit seculum, tugurio æter-
nitate frueris senectutis nescia. O si nobis nunc
tecum vel per horulam colloqui daretur, quanta

non disceremus; at quid dico, tua verba jam nobis ut illa, quæ, Paulus in Cœlum abreptus audivit, forent ineffabilia, quæ nec capere possemus. Quanta non jam per breve, quo a nobis abes, tempus didicisti, haud dubie & excellenter quam alii Cælites frueris gloriæ gradu, quos tamen ex summa modestia omnes æquales fore apud nos docuisti.

Nunc stadio absoluto laurea, quam tibi benignissimi Salvatoris manus ipsa imposuit, in æternum es gloriosus. O quam beatus non es in Consortio Cœlitum, quam suaves Tibi nunc de triumphis tuis ex peccato, ex morte, ex Inferorum Principe hymnos modulantur Cherubinorum Chori, ac de victoria, quam in Agno pro Te mactato reportasti, gratulantur.

O ter quaterque felices nos, quando & nos beatus ille fatorum tanget ordo, ac tecum in immenso illo novæ Hierosolimæ templo Deo nostro Triuni, Creatori, Redemptori & Sanctificatori vota nostra solvere, ac laudes ipsi debitas, in æternum decantare poterimus. Tu autem Sancte Pater, sanctifica nos totos, ut corpus & anima, ambo hæc inculpata serventur in diem Adventus gloriosi Domini nostri Jesu Christi, ut quando evigilaverimus ex sepulchris nostris, satiemur Imagine Tua in æternum, Amen.

- sal. Cap. V: 23. de tribus Hominis cœlitus
renati partibus : Cum perpetuis Annotatio-
nibus & vindiciis. Pag. 553.
- III. J. BALTH. BURCARDI Dissertatio Philo-
sophica de Assensu. Pag. 573.
- V. Mantissa Epistolica ad Controversiam de Ar-
gumento CARTESII pro Existentia Dei. Pag.
627.
- VI. Historia Vitæ & Obitus J. R. SALCHLINI,
*S. Th. in Acad. Bernensi Prof. & Collegii majo-
ris Praepositi*, breviter delineata a J. G. A. P:
641.
- VII. Vita SAMUELIS BATTIERII, *Med. Doct.
& Græc. Ling. Prof. in Acad. Basil.* Pag. 645.
- VIII. Vitæ MICHAELIS SZATHMARI, *Senio-
ris, S. Theol. & Ling. Hebr. Prof. Illustris Athe-
næi Pataicensis Rectoris Descriptio.* Pag. 649.
- IX. Nova Literaria. Pag. 654. fin.
-

Errores Operarum.

- Part. I. Pag. 3. lin. 16. *eorum. lege: earum.*
pag. 45. lin. 22. *in tales, lege: id est tales.*
- Part. II. Pag. 193. lin. 25. *offerri, lege: afferri.*
pag. 221. lin. 3. *in Notis pro 1644 lege
1674.*
pag. 252. lin. 5. *Pannonni oris. lege: Pan-
non in oris.*
pag. 254. lin. 2. *hunc ad modum legi
vult doctiss. Autor: Pars animæ chartis
nobilis hisce latet*
- Part. III. pag. 377. lin. 1. *in Notis, propendit.*
lege: *propendet.*